

CAPUT II.

DE NATURA PLANTARUM.

Declaratis operationibus ac potentiis vegetalium, gradum facimus ad eorundem investigandam naturam. Naturam vero plantarum assequi cognitione non possumus, donec primo ipsam vegetalis corporis rationem, ac deinde formam substantialem intimius perspicimus.

ARTICULUS I.

Utrum plantæ vivant.

Quinam negent
plantas vivere.

157. Negarunt olim plantas vivere Stoici, quemadmodum referunt Clemens Alexandrinus, Theodoretus et Plutarchus apud Eximium Doctorem (1): eidemque sententiæ adstipulati sunt materialistæ ac plures Cartesiani, qui nihil videre potuerunt in vegetalibus nisi corpora, varie quidem et artificiose organizata, sed externo penitus impulsu mota in omnibus suis operationibus, ac proinde vita prorsus verinominis carentia; vita siquidem motum internum atque immanentem importat. Nos autem et in superioribus interdum plantas vivere animaque præditas esse supposuimus, et facile nunc ex demonstratis demonstrabimus cum communissima et veterum et recentiorum sententia.

158. PROPOSITIO. 1.^a Plantæ vere vivunt infimo vitæ genere.

Plantæ vivunt

Probatur prima pars: *Plantæ vere vivunt*. 1.^o ex communi hominum sensu. Unde S. Augustinus de plantis loquens: *Hoc genus rerum, inquit, quamvis non sentiat, dicitur vivere, ac per hoc potest et mori... Unde et Apostolus cum de*

(1) Suarez (*de Anim.*, lib. 1, cap. 4, num. 7). Cfr. Conimbrienses (*de Anim.*, lib. 2, cap. 3, quest. 1, art. 1).

hujusmodi seminibus loqueretur: Tu, inquit, quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur. Et in psalmo scriptum est: Occidit vites eorum in grandine (1). Et S. Dionysius: Ex ipsa (vita Dei) vivificantur (intellige efficienter, non formaliter) et confoventur et animantes cunctæ atque arbores; et sive spiritualem dixeris sive rationalem, sive sensitivam, sive nutritivam sive vegetativam, ex ipsa vivit (2). Adde S. Basilium (3) et S. Gregorium M., cujus est hæc sententia: Habet., (homo) commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, etc. (4). Accedit consensus omnium Scholasticorum cum Aristotele (5) et S. Thoma (6), cæterorumque communissime Philosophorum.

Prob. 2.^o Ex definitione vitæ. Nam ea dicuntur vivere, quæ se movent ab intrinseco per aliquam immanentem operationem. Atqui plantæ hoc pacto se movent per operationes vegetativas. Ergo...

Probatur Minor. Etenim plantæ per insitam sibi virtutem suscipiunt nutrimentum, quod per successivam seriem variarum actionum, ut superius vidimus, *assimilant*, inque propriam substantiam convertunt, et sic tandem nutriuntur, et auferuntur, ac semina parant in seipsis ad novas generandas propriæ speciei plantas. Quapropter licet primæ functiones, quibus nutritio et augmentatio inchoatur, sint transientes, verum actio, in qua formaliter consistit nutritio et augmentatio, est in vero aliquo sensu immanens, utpote quæ terminatur ad novam partem integram, unitam illi eidem subjecto viventi, a quo tales operationes efficiuntur, quemadmodum jam declaratum reliquimus. Terminus ergo nutritionis et augmentationis est tandem in eo ipso subjecto, a quo ejusmodi actiones procedunt, ac proinde plantæ sese

(1) S. August., *de Civit. Dei*, lib. 2, cap. 2. Cfr. *ibid.* lib. 8, cap. 8; lib. 11, cap. 16; et *de vera Religione*, 55.

(2) S. Dionys., *de divinis Nominibus*, cap. 6, prope fin. Similia reperies *ibid.* initio capituli.

(3) Homil. 5 in *Hexæmer.*

(4) Homil. 29 in *Evangel.*

(5) *De Anim.* lib. 2, cap. 1 et 2, et alias sæpe.

(6) S. Thom., 1^a p. quest. 18, art. 1 et 2; *de Anim.* lib. 2, lect. 3, paragr. 4, et passim alibi.

nutriendo et augendo, vere se movent: et sic nutritio in sua consummatione, ut ita dicam, attingit rationem actionis immanentis. Idque sufficit ad vitam plantis asserendam. Generatio autem contrario modo videtur se habere: initio quidem rationem aliquam immanentiam retinet, principia enim et activa et passiva, hoc potissimum, elaborantur tamquam pars quaedam ipsius plantæ, et fœcundatio etiam contingit, dum adhuc adhærescit ovum pistillo, seu potius ovario. Verum fœcundatio videtur actio omnino transiens, quia non procedit *ab eo, in quo* recipitur; idemque a fortiori dicendum est de germinatione, quæ solum est immanens respectu novæ plantæ, quæ incipit vivere, atque evolvi, respectu autem generantium est penitus extrinseca, immo neque est formaliter actio eorum (1). Quare generatio in plantis ab actibus immanentibus præparari videtur, et inchoari, consummatur autem per actum transeuntem.

Quæ cum ita sint, licet vita minus pateat in plantis, quam in animalibus, sicut scripsit Philosophus (2), nihilominus attente consideranti talibus se prodit signis, ut nequeat ab homine sano in dubium revocari.

Confirmatur ex eo propositio, quod fieri bene possit, ut organismus plantæ integer maneat, et adsint omnia extrinseca adjuncta necessaria, quin tamen operationes nutritionis, augmenti et generationis appareant: quod cum accidit, planta dicitur mortua esse. Ergo signum est, cum illæ operationes elicerentur, adfuisse intra plantam principium aliquid earumdem internum, atque adeo illam vitam præditam fuisse.

Secunda pars: *Plantæ vivunt infimo vitæ genere*. Id significavit S. Dionysius, cum scripsit vegetalia vivere *secundum ultimam resonantiam vitæ* (3). Probatur autem 1.^o quia cum id sit vivens, quod se movet ad aliquam actionem, quæ in ipso maneat, atque adeo et habet rationem principii, a quo fluat actio, et subjecti, *in quo* recipiatur; eo perfectius aliquid vivit, quo magis a se et ex se agit, magisque intime et immanentem in se recipit actionis terminum. Atqui plantæ ex utroque capite omnium imperfectissime vivunt. Ergo...

(1) Vide Suarez, *de Anim.* lib. 1, cap. 4, num. 11.

(2) Aristot., lib. *de Plantis*, cap. 1.

(3) S. Dionys., *de divin. Nomin.* cap. 6.

infimo vitæ
grado.

Minor quoad primam partem supra in priori disputatione demonstrata est ex Angelici doctrina circa varios vitæ gradus (1). Quoad alteram vero partem sequitur ex nuper dictis. Quia tres sunt vegetalium operationes: e quibus generatio non est actio stricte immanens; nutritio autem et augmentatio sunt quidem in vero sensu immanentes, non tamen tam perfecte, quam alii gradus altiores vitæ, sensitio nempe et intellectio, quæ non solum recipiuntur in eodem supposito vel principali subjecto actionis, sed etiam in eadem parte vel potentia, per quam operationes illæ eliciuntur (2).

Prob. 2.^o Præterea gradus vitæ generatim quadruplex est, vegetativus, sensitivus, locomotivus et intellectivus. Ergo quo plures vel pauciores gradus vitæ participet aliqua natura, eo superiorem vel inferiorem locum obtinebit inter viventia. Atqui nullum est viventium genus, quod pauciores gradus vitæ participet, quam vegetalia, de quibus ostensum est, sola vegetatione prædita esse, quin sensum aut cognitionem possideant motumve localem spontaneum. Ergo vegetalia infimo vitæ genere vivunt.

159. PROPOSITIO 2.^a Vitæ vegetativæ triplex est operatio principalis ac primaria; ejusque objectum formale est corpus animatum seu vivens per animam.

Hæc propositio non est nisi corollarium superius disputatorum.

Prima pars probatur. Quia vegetatio apud omnes, licet interdum ad solam nutritionem significandam cœreatur, tamen generatim importat omnem vitalem operationem plantis cum reliquis corporeis viventibus communem, et cujus nullum in natura inorganica cernitur vestigium. Atqui tres sunt dumtaxat hujusmodi vitales operationes, nutritio nempe augmentatio et generatio, ut superius probatum reliquimus. Ergo...

Secunda pars non minus est manifesta. Nam objectum, ad quod generatio terminatur, est novum corpus vivens;

Vitæ vegetativæ
triplex est
principalis
operatio;

ejusque
objectum
formale est

(1) Vide S. Thom., 1 p., quest. 18, art. 3; et superius scripta, num. 15, pag. 48, 51.

(2) Cfr. S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 4, cap. 11 initio.

corpus
animatum.

augmentatio autem et nutritio respiciunt proprium corpus jam vivens, prout augendum et evolvendum ad justam usque magnitudinem, et prout conservandum in esse per jacturarum suarum reparationem (1).

Dixi, objectum formale vitæ vegetativæ esse corpus animatum seu vivens per animam, quia dici etiam solet objectum vegetationis esse alimentum (2); in quo nulla est pugna vel contradictio. Quia cum nutrimentum dicitur objectum vegetationis, intelligitur objectum materiale vel materia circa quam; nutrimentum enim est materia, ex qua transmutata peragitur nutritio et augmentatio proprii corporis, ac præparatur ac fecundatur ovum vel semen pro novo individuo (3).

160. PROPOSITIO 3.^A Hinc sequitur, plantam recte defini corpus vita dumtaxat vegetativa gaudens, vel corpus anima vegetativa informatum; anima vero est primum principium formale vegetationis.

Planta recte
definitur
corpus vita
dumtaxat
vegetativa
gaudens.

Primum horum patet ex prima propositione. Alterum constat ex eo, quod nomine animæ intelligatur, ut alibi notavimus, primum vitæ principium in corporibus; illudque esse formam substantialem corporis, jam in prima disputatione demonstratum manet. Et ex eo breviter nunc persuadetur, quod operationes vegetales tamdiu in planta manent, quamdiu illa retinet suam formam et rationem specificam viventis corporis: id quod signum est, hujusmodi operationum primum principium esse formam substantialem plantæ.

Ex mente Aristotelis alia etiam animæ vegetatricis definitio dari potest ex generatione petita, ut nempe sit principium formale generandi alterum individuum sibi simile secundum speciem. Ad cujus definitionis intellectum, inquit Aquinas, sciendum est, quod inter tres operationes animæ

(1) S. Thom., 1 p., quest. 78, art. 1 et 2; *Quæstiones disput.*, quest. de Anim., art. 13.

(2) Cfr. S. Thom., lib. 2, de Anim., lect. 9 initio; et lect. 7 initio.

(3) Vide Aristot. de Anim., lib. 2, cap. 4, text. 44-49; S. Thom. ibid., lect. 9, paragr. b seqq.; et 1 p. quest. 78, art. 2. Cfr. Mauri, *Quæstiones philos.*, lib. 4, quest. 32.

vegetabilis est quidam ordo. Nam prima ejus operatio est nutritio, per quam salvatur aliquid ut est. Secunda autem perfectior est augmentum, quo aliquid proficit in majorem perfectionem et secundum quantitatem et secundum virtutem. Tertia autem perfectissima et finalis est generatio, per quam aliquid jam quasi in seipso perfectum existens, alteri esse et perfectionem tradit. Tunc enim unumquodque maxime perfectum est, ut in quarto Meteororum dicitur, cum potest facere alterum tale, quale ipsum est. Quia igitur justum est, ut omnia definiantur, et denominentur a fine, finis autem operum animæ vegetabilis est generare alterum tale, quale ipsum est, sequitur, quod ipsa sit conveniens definitio primæ animæ, scilicet vegetabilis, ut sit generativa alterius similis secundum speciem (1).

Dices. Hæc est S. Basilii sententia: *Plantæ et arbores etiam si vivere dicantur, propterea quod facultatem quamdam, qua nutriuntur, augenturque pariter, habent; non tamen animalia sunt neque res animatæ.* Atqui si plantæ non sunt res animatæ, profecto nequeunt dici animam habere. Idque confirmatur etiam ex sensu communi hominum, qui vitam quidem vegetalibus tribuunt, mirarentur tamen, si quis eisdem animam quoque assereret.—**Respondeo** mentem S. Basilii esse tantum negare plantis animam sensitivam, quæ vulgo sæpe venire solet nomine animæ. Cæterum si recte vox intelligatur, nemo jure denegaverit animam plantis. Nam si plantæ vivunt, principium vitale habeant, necesse est. At principium vitale in corporibus anima vocatur communiter a Philosophis. Præterea anima est actus primus corporis physici, organici, potentia vitam habentis. Atqui talis actus est principium vitale plantarum. Sensus vero vulgi in rebus philosophicis ex sapientium doctrina corrigendus est (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

161. OBJIC. 1.^o Nulla videtur esse operatio immanens in plantis. Ergo non vivunt. Prob. antecedens, quia omnes

(1) S. Thom., de Anim., lib. 2, lect. 9, paragr. j.

(2) Cfr. Suarez, de Anim., lib. 1, cap. 4, num. 11.

actiones, quibus vegetatio absolvitur, vel fiunt a vivente in cibum, attrahendo illum, ac transformando, et distribuendo per diversas partes, vel etiam fiunt ab aliis in alias partes, has sibi uniendo, fere sicut massa aquæ sibi unit ope cohesionis guttam aquæ contiguam. At omnes hujusmodi operationes videntur esse prorsus transeuntes. Ergo...

Resp. dist. assertum. Nulla est in plantis operatio immanens immanentia perfectissima, per quam actio recipiatur in eadem potentia, unde fluit, *trans*; immanentia minus perfecta, per quam actio recipiatur in eodem saltem supposito, a quo efficiatur, *neg.*

Etenim admissa continuitate atque unitate suppositi in planta, non est dubium, quin saltem nutritio et augmentatio, in suo complemento ac formaliter spectatæ, quando nempe post prævias alias functiones, tandem nova materia assimilata unitur plantæ, veraque pars integrans ejusdem constituitur, sint actiones in vero aliquo sensu immanentes, tales nempe, quarum terminus maneat in ipso earum principio ac subjecto efficiente. Hujusmodi autem actiones immanentes et vere fluentes a principio intrinseco per se et ex exigentia suæ naturæ, illa postulantis ad sui perfectionem et conservationem, nullibi reperiuntur præter quam in corporibus organicis, ut fusiis declaratum est superius. Fatemur nihilominus vegetativas actiones non tam perfecte immanentes esse, ideoque infimum gradum vitæ non transcendunt (1).

Objic. 2.^o Nihil fit in plantis, quod nequeat in eis fieri ab agente extrinseco. Ergo actiones earum non sunt de genere suo immanentes.—Consequentia patet, quia actio speciem sumit a termino, terminus autem, qui ab extrinseco agente fit, vel fieri eodem modo potest, vitalis non est. Ergo si nihil est in plantis, quod ab extrinseco fieri nequeat, nulla quoque eis inest operatio vitalis.—Probatur ergo antecedens. Quia in primis nutritio et augmentatio talem habet terminum, qui a solo Deo obtineri potest. Siquidem creare Deus potest arborem in ea mole ac perfectione, quam

(1) Cfr. Suar., *de Anim.*, lib. 1, cap. 4, num. 13; *Metaphys.* disp. 48, sect. 6, n. 9, 10.

ipsa naturaliter assequeretur per nutritionem et augmentationem. Præterea potest etiam Deus miraculose in parva planta nutritionem et augmentationem solus peragere eodem ordine ac successione temporis, sed impediendo actionem plantæ, per quam ipsa naturaliter nutritur, et augetur. In quo casu haberemus nutritionem ab extrinseco, ac proinde non vitaliter productam. Atque idem dici posset de generatione (1).

Resp. dist. anteced. Nihil fit in plantis, quod nequeat fieri etiam ab externo agente, connaturali modo, *neg.*; miraculose; *subdist.* Et tunc actio illa miraculose facta a Deo foret vitalis et ejusdem speciei, *neg.*; alterius, *conc.* Et *neg.* conseq. Itaque ad actionem vitalem requiritur, ut nequeat connaturali modo exerceri nisi ab immanenti principio, quicquid sit, utrum per miraculum procedere valeat ab externa causa. Et hujusmodi sunt functiones vitales plantarum, ut jam diximus. Contrario modo se habent actiones corporum inanimatorum, quæ similitudinem aliquam gerunt cum prædictis operationibus vegetalium; quia nempe ita fiunt, ut prorsus indifferens sit ipsi termino et principio earum, quod sint vel non sint unita et continuata, ut jam exposuimus de igne aliisque similibus (2). Cæterum ad judicandum, num actio aliqua sit vitalis, non est attendendus dumtaxat terminus in sua physica entitate, sed respiciendus est modus connaturalis, secundum quem natus est fieri. Alioquin simili modo, quo contendit obiecto, nutritionem non esse actionem vitalem, quia terminus ejus absolute produci potest ab extrinseco; probari quoque posset actiones causarum naturalium esse veras creationes, quia nempe effectus naturalium causarum potest profecto Deus etiam creare, producendo independentem a materia.

Objic. 3.^o Actio vitalis, ex superius allata explicatione, illa est, quæ ab intrinseco procedens, non tendit præcise ad statum connaturalem assequendum. Atqui nutritio et augmentatio potius tendunt ad statum connaturalem assequendum. Nam certe plantæ ab initio nondum habent justam

(1) Vide apud Suar., *de Anim.*, lib. 1, cap. 4, n. 8, 9.

(2) Cfr. Suar., loc. cit., num. 15, 16; Lossada, *de Anim.*, disp. 1, cap. 2, num. 27.

molem et magnitudinem et aptitudinem ad omnes operationes, quæ debita ipsis est secundum propriam naturam; ac proinde augmentatio in plantis est motus, ad assecutionem status connaturalis tendens. Eadem est quoque nutritionis ratio, utpote quæ habet pro termino reparationem jacturam, quas jugiter subit, et conservationem substantiæ, ne pereat.

Resp. neg. Minor. «Quia communi usu non dicitur status connaturalis, nisi qui debet perpetuo rem comitari, ita ut res in *nullo instanti* possit eo privari sine violentia vel miraculo. Quis autem dicat fœtum humanum pati violentiam, donec ratione uti valeat, aut plantam donec fructificet? Nec obstant probationes adjunctæ. Nam ea moles debita quidem est, *sed non pro omni tempore*. Aptitudo autem ad proprias operationes non pertinet ad statum connaturalem, nisi quando ex natura rei debet esse uniformis pro omni instanti» (1), ut accidit in corporibus inanimatis, quæ semper et ubique, quamdiu durant, possunt easdem elicere operationes: at corpora viventia pro diversis statibus, diversas operationes et aptitudines requirunt. Quamobrem non operaretur profecto naturaliter, sed omnino præter naturam, planta, quæ ab initio semina pararet, fructusque suæ speciei proprios ferret. Neque aliud est dicendum de nutritione, nam certum est plantam non esse in statu violento, cum se nutrit, nec se proinde nutrit, ut assequatur statum connaturalem, sed ut conservet, ac perficiat eum, quem habet.

Objic. 4.^o Nulla res creata habet vitam, nisi quatenus aliquo modo participat vitam divinam. Atqui non participant vitam divinam nisi entia cognitione et appetitione prædita, siquidem non est in Deo alia vita præter intentionalem. Ergo cum ea careant penitus plantæ, nullo modo proprie vivere videntur (2).

Resp. dist. Major. Nulla res creata vivit, nisi quatenus vitam divinam participet secundum eandem rationem, *neg.*; secundum imperfectam quamdam imitationem, *conc.*

(1) Lossada, loc. cit., num. 28.

(2) Vide apud Suar, lib. 1 de Anim. cap. 4, n.º 9, 10.

Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq. Deus est ipsa vita purissimaque actualitas omnis perfectionis ex sese ipso, quin ulla sit in eo distinctio inter principium operans ab intrinseco et actum suo principio immanentem. Et hujusmodi perfectionem vitæ attingere nequeunt res creatæ. Nihilominus ideo «dicuntur aliquæ creaturæ participare vitam Dei, quia sicut Deus ab intrinseco semper est in actu ultimo et perfecto per seipsum, ita creaturæ aliquæ per se habent posse se constituere in actu secundo, modo tamen minus perfecto, quam Deus: nam Deus per seipsum sine actione ad intra, viventia autem creata efficiendo circa se, in actu ultimo se constituunt». Jam vero plantæ possunt se aliquo modo in actu secundo constituere. Et hoc sufficere debet, ut aliquo modo participent vitam Dei, et sic comprehendantur cum ipso sub conceptu analogo viventis generalissimo et abstrahente a creato et increato et a modo actionis ultimæ, sive per efficientiam internam et immanentem realiter a vivente ipso distinctam, sive secus (1).

Objic. 5.^o Nutritio et augmentatio, prout a nobis declarata sunt, important additionem et unionem partis assimilatae et conversæ in substantiam corporis viventis. Ad hoc autem necessario requiritur, ut anima seu principium vitale corporis nutriti informet etiam novam illam partem superaditam. Atqui concipi nequit, quomodo id fieri possit.

Resp. neg. Minor. Vel enim anima corporis viventis est indivisibilis, qualis est v. g. anima rationalis, vel divisibilis, quale videtur esse principium vitale plantarum. Si sit divisibilis, planta quæ se nutrit, et augetur, in tantum convertit alimentum in sui substantiam, in quantum transformat materiam illius, inducendo in eam actum partialis animæ similis, per eandem virtutem nutritivam productæ, et simul copulat sibi materiam sic transformatam tamquam veram partem integram (2).

Si vero anima sit indivisibilis, eadem ipsa, quæ prius unita erat cum reliquo corpore, quando actus nutritionis

(1) Vide Suar. ibid., num. 21, ubi plura reperies.

(2) Vide Lossada, tract. de Gener. et corrupt. disp. 1, cap. 3, num. 47. Cfr. superius scripta num. 137 pag. 645.

vel augmentationis formaliter completur, incipit uniri novæ illi parti. In quo non videtur esse ulla specialis difficultas, quæ locum non habeat in prima unione hujusmodi animæ cum materia in generatione viventis. Sicut enim anima v. g. rationalis infunditur, et unitur substantialiter materiæ, quando hæc sufficienter disposita est, ut ab illa informetur et actuetur; simili modo statim ac materia alimenti convenienter præparata est per successivas elaborationes, informatur ab illa eadem anima, et sic convertitur formaliter in substantiam aliti, fitque pars integrans illius.

Objic. 6.^o Omnes operationes, quas in plantis cernimus, explicari possunt eodem modo, quo artificiosissimarum machinarum operationes: nam experientia ipsa novimus machinas, quo artificiosius constructæ sunt, eo mirabiliores effectus producere. Atqui nulla machina vita prædita est. Ergo nec plantæ vivere dicendæ sunt, sed esse tantummodo machinæ affabre factæ.—*Respondeo neg.* Major. Est enim ingens discrimen inter vegetalia et quamvis veri nominis machinam. α) In machina enim potest quidem esse multitudo partium, quæ instar organorum, seriem quamdam operationum peragant, ad finem aliquem ultimum conspirantium, sed semper principium movens in illa externum est, ac proinde nulla reapse datur actio vere immanens. E converso in planta motor internus est, ideoque operatio saltem nutriendi et augescendi est immanens. β) Plantæ post ovi fecundationem germinant, seipsas evolviendo, propriumque corpus efformando ex insita sibi activitate; nihil autem ejusmodi occurrit in machinis. γ) Plantæ suas resarciunt jacturas, seque ipsas ex proprio labore conservant, quæque sibi nocent vel inutilia sunt, excretionem expellunt; machinæ vero nisi ab extrinseco perenniter moveantur, durare nequeunt in motu. δ) Plantæ magnam eliciunt varietatem actionum, mechanicarum, physicarum et chemicarum, ac nominatim mirabilem illam *assimilationem* principiorum nutritivorum, cujus nullum est exemplum vel in ipsa Chimia inorganica. At machinæ *prout tales* non habent nisi actiones mechanicas. ε) Plantæ demum gaudent mirabili virtute gignendi alia individua sibi similia secundum immutabilem rationem suæ speciei: cujus rei ne vestigium quidem invenitur in machinis.

Objic. 7.^o Si generatio non est in vero sensu immanens, perperam recensetur inter operationes vitæ vegetativæ. Ergo non est triplex operatio primaria hujus infimi gradus vitæ.

Respondeo neg. antec. Quia etiamsi dicatur generatio in sua formali consummatione, nempe in fecundatione, non esse stricte immanens, non sequitur eam non esse propriam operationem vitæ vegetativæ, quia est peculiaris omnino viventium vita vegetativa ita, ut in nullo ente vita vegetativa non prædito reperiat. Ergo etiamsi generatio non sit proprie et perfecte immanens, jure inter operationes vegetalium numeratur. Cæterum non desunt, qui putent non esse de ratione actionis vitalis, quod sit immanens, nec contra rationem actionis vitalis, quod sit transiens (1); verum id mihi non placet, quia pugnat cum iis, quæ superius statuta sunt in prima disputatione circa notionem vitæ ac viventis. Et propterea, quamvis arbitror generationem esse opus proprium et exclusivum viventium, quia tamen in sua consummatione non est actio immanens proprie, sed transiens, nolui ad probandam vitam plantarum argumento uti, ex generatione derivato. Nec vero mirum tibi videatur actionem, quæ non est immanens, ac proinde nec formaliter vitalis, esse tamen propriam viventium, eamque excellentissimam: non enim omnia, quæ viventibus proprie et exclusive competunt, necesse est formaliter esse vitalia. Ita etiam scriptio et pictura propriissima est hominis intelligentis, et nihilominus non sunt actiones immanentes nec formaliter vitales in seipsis, sed tantum *præsuppositivæ*, si ita loqui fas est, quatenus supponere necessario debent actus intellectuales, perfectissime vitales, a quibus dirigantur, et etiam motum manuum, qui et ipse vitalis est ac perfecte immanens (2).

(1) Cfr. Suarez, *de Anim.* lib. 1, cap. 4, num. 13.

(2) Cfr. superius scripta et difficultates solutæ tum circa principium vitale, tum circa operationes vegetalium proprias.

ARTICULUS II.

Qualis sit anima plantarum.

162. Declaranda jam est natura vitalis principii, quod vegetalibus inest. Illud esse veram formam substantialem ac veri nominis animam constat tum ex dictis in articulo præcedenti, tum ex demonstratis in generali disputatione de primo vite principio (1). Nunc autem inquirendum restat, qualisnam sit anima vegetalis. Estne materialis, an vero immaterialis seu spiritualis vel subsistens; corruptibilis, an incorruptibilis; simplex, an composita et divisibilis; una, an multiplex; a Deo creata, an vero educta de potentia materiæ? Horum quædam jam alibi probata sunt, cætera facile colliguntur ex dictis.

§ I.—DECLARATUR NATURA ANIMÆ VEGETALIS.

PROPOSITIO 1.^a Anima vegetalis plantarum non est subsistens vel spiritualis, sed materialis; non immortalis, sed corruptibilis; simplex quidem essentialiter, sed extensive divisibilis: una omnino in singulis plantis; non denique creata, sed educta de potentia materiæ, vel, ut veteres loquebantur, traducta cum semine.

Anima vegetalis non est subsistens, sed materialis;

Probatur per partes: 1.^o *Anima plantarum non est subsistens, sed materialis*, id est, a materia dependens in existendo. Qualis sit anima secundum suam entitatem et naturam, cognoscendum est ex suis operationibus, per quas velut per totidem signa et externa lineamenta nobis innotescit. Atqui nulla detegitur in plantis operatio, quæ non sit materialis, nempe exercita in materia, et circa materiam, et per organa materialia. Ergo nisi velimus gratis fingere in anima plantarum perfectionem, cujus nullum suppetit indicium, ea dicenda est materialis seu dependens a materia in

(1) Vide num. 19 et 22 seqq. pag. 86 et 89 seqq.

existendo, non minus quam formæ omnes regni mineralis. Cum enim modus operandi sequatur modum essendi, si anima plantarum foret subsistens seu capax existendi extra materiam, haberet etiam virtutem aliquam altioiorem et independentem a materia in operando, eaque per aliquam operationem consentaneam patesceret (1).

2.^o *Anima plantarum corruptibilis est, non immortalis.* corruptibilis, non immortalis; Sequitur ex præcedenti parte. Si anima vegetalis non est subsistens, eatenus existit, quatenus actuat materiam, vel unitur cum materia constituendo corpus vegetale, seu plantam. Ergo tamdiu duntaxat existere debet, quamdiu tale corpus vivens constituit tamquam actus ejus, nempe quamdiu tale corpus in suo esse perdurat: et si illud destruitur, vel desinit esse, eo ipso anima non potest jam existere. Atqui plantæ corruptibiles sunt, ac passim corrumpuntur, seu destruntur. Ergo idem dicendum est de anima vegetali. **Brevius:** Formæ materiales, quarum totum esse est materiam actuare, et sic compositum corporeum constituere, nequeunt corrupto corpore superstites esse, sed naturaliter pereunt. Atqui anima vegetalis est forma materialis. Ergo anima vegetalis immortalis non est, sed desinit esse eo ipso, quod planta pereat.

Quamobrem anima vegetalis non perit annihilatione, sed corruptione compositi ac cessatione suæ entitatis. Etenim annihilatio creationi opponitur, et ea proprie annihilari dicuntur, quæ totaliter desinunt esse ita, ut ne ullum quidem ipsorum subjectum remaneat; sicut ea creantur, quæ totaliter producuntur, quin præsupponatur ulla materia vel subjectum, dependenter a quo fiant. Atqui formæ vel animæ plantarum sic pereunt, ut materia ab illa informata et vivificata permaneat adhuc sub alio actu, quemadmodum patet experientia. Ergo plantarum anima desinit esse per corruptionem compositi; quia nimirum jam compositum illud, quod prius vivebat, substantialiter mutatum est in aliud ac transformatum, amissione prioris formæ et acceptione alterius.

(1) Vide S. Thom. 2.^o dist. 18, quæst. 2, art. 3; 1.^o p. quæst. 75, art. 3; quæst. 118, art. 1; *de Potent.* quæst. 3, art. 11; *Quodlib.* 9, art. 11; *Contr. Gent.*, libr. 2, cap. 68 fin.

Tota hæc doctrina est S. Thomæ in locis nuper laudatis, ac nominatim in *Questionibus disputatis* (1).

Anima
plantarum
est simplex
essentialiter
atque exteriore
divisibilis;

3.^o *Anima plantarum est simplex quidem essentialiter, sed extensive aut integraliter composita vel divisibilis.* Primum horum constat ex eo, quod anima sit forma corporis; omnis enim forma ex probatis in *Cosmologia*, simplex essentialiter est. Alterum fuse demonstratum fuit in prima disputatione (2).

una in singulis
vegetabilibus;

4.^o *Anima una est in singulis plantis individuus.* Multiplex anima ex duplici causa induci posset, vel quia quas individuas plantas dicimus, non sunt nisi individua quædam botanica, quæ ex plurimorum individuorum physiologicorum, ut loquuntur colonistæ, congerie ac societate coalescunt; vel quia quamvis non sint singuli organismi plantarum nisi unum reapse individuum, seu unum physice ens, earum tamen operationes ac virtutes non possent ab unica manare anima, sed multas vindicarent. Atqui utrumque absurde dici demonstratum in superioribus est (3). Nec vero solum est unica in singulis plantis anima, verum neque est in eis alia forma substantialis, ut probatum manet in superioribus cum scotistica forma corporeitatis excluderetur (4).

non creata,
sed educta de
materia
potentia,

5.^o *Anima plantarum non creatur, sed educitur de potentia materia: α* Terminus creationis, ut jam ex *Cosmologia* liquet (5), est aliqua entitas per se subsistens. Atqui anima vegetalis non est entitas per se subsistens. Ergo nequit naturaliter esse terminus creationis. 2.^o *Quale est esse rei, tale est fieri.* Atqui anima plantarum non potest esse nisi in materia, et dependenter a materia. Ergo neque potest aliter fieri, ac proinde educitur de potentia materiæ, sicut omnes formæ inorganicorum corporum. *Quorumcumque... principiorum operationes non possunt esse sine corpore, nec eorum initium sine corpore esse potest. Sic enim res habet esse sicut et operatur, cum unumquodque operetur in quantum est ens... Operatio autem animæ nutritivæ (vegetalis) et sensitivæ non potest esse*

- (1) *De Potent.* quæst. 3, art. 11. Cfr. *Quodlibet.* 9, art. 11, etc.
(2) Vide supra, num. 64, pag. 277.
(3) Vide num. 54 seqq., pag. 221, num. 58 seqq., pag. 262.
(4) Vide supra, num. 30 seqq., pag. 110.
(5) *Cosmolog.*, num. 63, pag. 193 fin.

sine corpore, ut ex præmissis (lib. 2.^o *Contr. Gent.* cap. 57 et 68) *patet... Igitur anima nutritiva et sensitiva per generationem corporis generatur... Sed traductio seminis* (principii activi generationis, pollinis vel spermatis) *ad corporis generationem ordinatur. Igitur anima nutritiva et sensitiva esse incipiunt per seminis traductionem* (1).

Solvuntur
difficultates.

163. *Objic. 1.^o* Totum tandem fundamentum hujus propositionis desumitur ex materialitate, seu dependentia a materia, operationum vegetaliū. Atqui hoc fundamentum est valde infirmum; α) tum quia non omnes imperfectiones operationum refundendæ sunt in earumdem principium, ut manifeste patet in anima rationali, quæ licet sit subsistens et spiritualis, habet tamen operationes materiales seu dependentes a materia, videlicet vegetativas ac sensitivas, quia omnium vitalium operationum tandem unicum principium est una eademque anima rationalis in homine, quemadmodum suo loco demonstrandum erit. β) Tum quia si ex imperfectione operationum jure liceret imperfectionem arguere principii; ex eo quod operationes sunt accidentales, concludendum quoque foret, ipsum vitale principium esse accidens, quia nempe operationes sunt accidentia de genere qualitatis. Ergo nihil evincit nostra probatio. γ) Tum denique quia ex eo quod anima dependeat a materia in operando, reapse non sequitur eam dependere etiam in existendo; siquidem anima etiam rationalis, quæ subsistens profecto est, dependet in omnibus operationibus a materia.

Respondeo, conc. Major., *neg.* Minor.

Ad probationem. α) *dist.* Non omnes operationum imperfectiones refundendæ sunt in earumdem principium, quando aliæ in eo nobiliores deteguntur, *conc.*; si nullæ aliæ nobiliores detegantur, *neg.* Unde non est ad rem humanæ animæ exemplum. Cum enim in homine non vegetativæ solum, nec sensitivæ, sed spirituales etiam adsint operationes, si omnes illæ ab unico principio formali procedant, ut reapse procedunt; non possumus ex materialitate operationum, sive vegetativarum, sive sensitivarum, materialitatem animæ

(1) S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 86 initio. Cfr. loca alia supra citata.

rationalis recte concludere; quia quamvis non repugnet spiritualement formam esse principium operationum materialium, at vehementer repugnat causalitatis principio, materialem formam esse spiritualium operationum principium. Etsi ergo ex operationibus materialibus hominis, sive vegetativis sive sensitivis, perperam inferretur materialitas humanæ animæ; nequit tamen idem dici de nostro argumento.

Ad β) *dist.* anteced. Si ex imperfectione operationum liceret imperfectionem arguere principii, concludendum quod foret, ipsum principium vitale proximum esse accidens, *conc.*; principium primum et radicale, *neg.* Præcise ob hoc argumentum ostendimus superius, actiones vitales debere proxime procedere ex quibusdam potentiis accidentalibus, unde conclusimus realem necessitatem realis distinctionis inter animam et potentias. Hoc tamen argumentum non valet ad probandum, quod primum etiam et radicale principium vitalium operationum debeat esse accidentale; tum quia repugnat primum et radicale principium esse accidens; tum quia e converso non repugnat operationem, quæ accidens est, procedere a substantia tamquam a primo et radicali principio.

Ad γ) *dist.* assertum. Ex eo quod anima dependeat a materia tamquam a pura conditione in operando, non sequitur illam pendere quoque in existendo, *conc.*; ex eo quod anima dependeat a materia tamquam ab organo et instrumento necessario actionis, *neg.* Nec urget probatio, quia anima in operationibus intellectualibus non pendet a materia tamquam ab organo operationis, sed tamquam a pura conditione, prout alibi demonstrabitur.

Instabis. Atqui si anima vegetalis pendet a materia tamquam ab organo vel instrumento operationis, jam nequit dici a materia pendere in existendo; nam causa principalis ab instrumento non pendet in existendo.—*Respond. neg.* instantiam. Et rationem *dist.* Causa principalis non pendet in existendo ab instrumento separato, *trans.*; ab instrumento in unitatem naturæ sibi substantialiter copulato, *neg.*

Objic. 2.^o Anima nobilior certe est materia prima. Atqui si in ipso *esse* penderet a materia, non posset illa esse nobilior. Ergo non potest anima vegetalis esse materialis.

Resp. conc. Major.

Dist. Minor. Si penderet efficienter seu tamquam a causa efficiente, a qua suam perfectionem mutuaretur, *conc.* Si pendet solum materialiter, seu tamquam a subjecto sustentationis, quod actuet, ac perficiat, *neg.* Sicut enim videmus in artificialibus gemmas et ornamenta pretiosa sustentari, ac fulcimentum accipere a rudiori materia; idipsum accidit in naturalibus. Non enim anima, sicut nec ulla alia forma substantialis, efficitur a materia, quippe quæ nulla per se gaudet activitate, sed a suis consentaneis causis, nec proinde accipit ab illa perfectionem, sed tantum subjectum, in quo inesse possit, actuando illud, perficiendo illud, vivificando illud. Anima enim licet longe perfectior sit, quam materia, non est tamen tantæ perfectionis, quæ possit sola subsistere, ideoque nequit esse nisi actuando materiam, eique naturale præbendo complementum.

Objic. 3.^o Anima non dependet a materia in *esse*, nisi quatenus cum illa uniatur. Atqui ante unionem jam anima debet supponi existens; nam prius est rem esse, quam uniri. Ergo anima reapse non dependet a materia in existentia.

Respondeo, conc. Major., *neg.* Minor., ejusque probationem *dist.* Prius est rem subsistentem esse, quam uniri, *conc.*; rem non subsistentem, *neg.* Tum *neg.* conseq. Forma namque vel actus materialis, præcise quia eatenus est, quatenus unitur cum materia, nequit ante unionem existere, quantumvis nobis imaginatio illudat: existentia enim hujusmodi formarum consistit in eo, quod *sint actu unite*.

Objic. 4.^o Si anima vegetalis plantarum dependeret a materia, et ex ejus potentia educeretur, idem quoque dendum foret de anima vegetativa hominis, nam ejusdem est generis ac rationis. Atqui anima vegetativa hominis non pendet a materia, sed est subsistens, nec educitur de potentia materiæ, sed creatur. Ergo...

Resp. neg. Major., ac probationem *dist.* Est enim ejusdem generis ac rationis, sed specificè diversa, *conc.*; specificè eadem, *neg.* Anima namque vegetativa hominis est eadem numero cum anima spirituali ejusdem, ut suo loco demonstrabitur.

Objic. 5.^o Si anima plantarum educeretur de materiae potentia, necesse esset assignare causam idoneam ejusmodi educationi. Atqui nulla potest in rerum natura causa idonea assignari. Ergo...

Respondeo. Difficultas hæc cogit nos investigare causam efficientem animæ vegetalis.

§. II.—QUÆNAM SIT EFFICIENS CAUSA ANIMÆ
VEL FORMÆ PLANTARUM.

Aperitur
rei difficultas.

164. Non sua vacat dubium hoc difficultate, præsertim in veterum sententia circa embryonis animationem. Etenim ex altera parte cum parentes, ovum fœcundantes, vulgo dicantur generare, videntur ipsi quoque dicendi esse causæ, animam educentes. Ex altera vero parte id videtur potissimum in sententia veterum haud levem habere difficultatem. Una enim ex conditionibus ad actionem efficientis causæ requisitis est ejusdem existentia. Atqui saltem si ovum inde ab ipsa fœcundatione non animatur, fieri potest, ut e duobus generantibus, ille, ad quem spectaverat activum principium, pereat ante animationem; et quamvis non pereat, certe jam nullam exierit virtutem, nullam ponit actionem ad educationem animæ de potentia materiæ ordinatam; ac proinde semper se habet reapse, quasi non existeret. Ergo quomodo potest productio talis animæ generanti attribui? Idem a fortiori dicendum esset de generatione omnium oviparorum, avium et piscium, in quibus ad animationem novi individui ne propria quidem mater requiritur, ut notum omnibus est. Idem constat de omnibus vegetabilibus, quorum grana vel semina extra plantam, in qua efformata fœcundataque fuerant, germinant, atque evolvuntur. Quin etiam ipsa ovi fœcundatio in vegetabilibus unisexualibus fit ad magnam distantiam, abrepto polline, et ad contactum passivi principii perducto ope venti vel aliarum causarum externarum. Et augetur difficultas hæc in opinione illorum, qui negant causas naturales egere ad operandum virtutibus vel potentiis accidentalibus realiter distinctis, sed continentur eas immediate per suam substantiam operari; vel si admittunt potentias accidentales, negant saltem eas esse

adæquatam virtutem operandi, sed necessarium præterea esse concursum activum, ab ipsa substantia rei immediate collatum: qua de re actum est in *Cosmologia* (1). Secundum hanc enim doctrinam si parentes reapse animam novi viventis educerent de potentia materiæ, deberet anima ipsa parentum ad ejusmodi educationem per se ipsam seu per virtutem aliquam substantialem secum identificatam concurrere. Non est autem captu facile, animam plantæ vel animalis posse ad actionem aliquam per se ipsam et immediate cooperari, ubi non est, vel quando jam non existit.

Ad hunc solvendum nodum multi ex veteribus ad influxus causarum cœlestium, immo et ad peculiarem Dei interventum et actionem confugerunt. Cum enim in actu fœcundationis ex commixtione activi principii ovo non putarent advenire nisi virtutem quamdam, quæ materiam disponderet vel etiam organizaret ad receptionem animæ, quin tamen productionem ejus sua efficacitate attingeret; causam, eamque idoneam, animæ effectricem alibi quærere debuerunt. Cumque viderent ipsos parentes post actum fœcundationis, nullam jam novam causalitatem activam exercere, nec aliam in entibus sublunaribus aptam causam invenirent, ad cœlestes et universales sese receperunt atque ad ipsum Deum, cujus est defectum causarum secundarum, cum necesse est, sua omnipotentia supplere (2). Aliter rem explicavit S. Thomas, quem plurimi sunt secuti. Docet nempe parentes ipsos, qui corpus generant ovum fœcundando, quod mox transit in embryonem et organismum, etiam animam producere vel educere de potentia materiæ, quin obstet, quod parentes immediate per se ipsi non attingant ejusmodi productionem, sed solum *mediâ virtute*, quæ in actu fœcundationis per activum seu masculinum principium imprimitur passivo ad transmütandam, organizandam, et sic præparandam, perducendamque materiam ad actum animæ. Ovum enim fœcundatum est habendum instar instrumenti, quo parentes utuntur ad complendum, perficiendumque opus

Sententia
auctorum.

(1) Vide *Cosmolog.*, num. 365, pag. 1232, *Tertia denique opinio* et num. 368, pag. 1235 seqq.

(2) Ita senserunt multi cum P. Suarez, *Metaphys.* dis. 18, sect. 2, num. 39 et 40.

generationis; virtutem vero illam jure merito comparare licet virtuti, quam causa principalis solet instrumento imprimere. Quapropter parentes dum ovo virtutem illam imprimunt, habendi quoque sunt veræ causæ efficientes ipsius animæ, quam attingunt media illa virtute, ad hunc præcise finem obtinendum sibi a Deo indita (1). Hæc sententia mihi quoque magis arridet, ita tamen exposita, ut non contradicat iis, quæ in superiori articulo de tempore, quo embryo animatur, scripta sunt. Itaque sit

165. PROPOSITIO 2.^a Ipsi parentes, ovum fœcundantes in actu generationis, sunt causa formæ vel animæ novi individui tum in plantis tum in animalibus.

Parentes ovum
fœcundantes
sunt causæ,
animam
sive plantæ sive
animalis
educentes
de potentia
materiali.

Probat, quia parentes ovum fœcundantes sunt vera causa novi viventis, ut constat ex communi omnium sensu. Atqui nulla est ratio, cur etiam non sit illis asserenda ipsa formæ vel animæeductio, per quam embryo constituitur individuum ejusdem speciei cum suis parentibus. Et probatur α) quia cum esse formarum naturalium et corporalium (id est a materiæ dependentium, quales sunt formæ vel animæ omnium vegetaliū et animalium) non consistat nisi in unione ad materiam, ejusdem agentis esse videtur eas producere, cujus est materiam transmutare (2), atque ad earum receptionem præparare. Atqui parentibus procul dubio negari nequit officium materiam transmutandi per actum generationis et fœcundationis: secus enim neque video, quo jure vocandi essent vere parentes. Ergo productio animæ formæve plantarum et animalium jure merito attribuitur parentibus. β) Si hujusmodi formæ non excedant virtutem et ordinem et facultatem principiorum agentium in natura, nulla videtur necessitas earum originem in principia reducere aliora (3). Atqui formæ vel animæ plantarum et animalium, quæ generantur, non excedunt virtutem et ordinem et facultatem generantium. Nam in primis

(1) Lege S. Thomam. 1 p. quæst. 118, art. 1 corp. et ad 2.^{am}, 3.^{am} et 4.^{am}; de Potentiâ quæst. 3, art. 11, corp. et ad 5.^{am}, 7.^{am}, 9.^{am}, 10.^{am}, 16.^{am}, 2.^a dist. 18, quæst. 2, art. 3, corp; Contra Gent. lib. 2, cap. 86 initio.

(2) S. Thom., de Potent., quæst. 3, art. 11.

(3) S. Thom., de Potent., quæst. 3, art. 11.

perfectio essentialis eadem est in utrisque; deinde nec formæ vel animæ producendæ postulant modum effectionis, qui ordinem superet causarum creatarum: quare nequit in contrarium objici exemplum humanæ animæ, illa enim cum sit immaterialis vel spiritualis non potest existere, nisi a Deo creetur, ut suo loco demonstrabitur; præterea est in generantibus virtus et actio natura ipsa ad individuorum sibi similium procreationem ordinata. γ) Denique si quid obstaret, quominus dicamus, parentes animam ipsam novi individui attingere, esset ea ratio, quod anima sit substantialis entitas, virtus vero generativa potentia accidentalis; et aliunde nos non admittimus ullum concursum substantialem ipsius animæ ad actus vitales, etiam nutritionis et generationis, virtuti et actioni potentie accidentalis superadditum (1); unde sequi videtur manifesta improprio inter effectum producendum et virtutem productivam. Atqui hæc ratio non obstat. Quia ut jam in *Cosmologia* docuimus, proportio inter effectum productum et principium producents dimetienda est ex perfectione substantiali principii vel causæ efficientis, non vero ex perfectione instrumenti vel medii, quo illud actionem naturalem exsequitur. Actio enim ejusmodi non est instrumenti, sed principii; instrumentum vero est medium, quod a natura ipsa principio vel causæ inest ad actionem et proprium terminum illius attingendum. Nequit autem exigi, ut instrumentum et medium, quo per modum virtutis causa producit effectum, hujus perfectionem exæquet, ut manifeste patet in actione ipsa, qua mediante causa ponit effectum: ea enim accidentalis est, et etiamsi velles illam substantialem facere, certe pure modalis entitas est, quæ proinde non servat proportionem cum effectu substantiali, qui sit entitas absoluta. Si ergo adversarii ipsi tenentur agnoscere, non omne medium, quo causa ad effectus productionem uti debet, servare proportionem cum entitativa hujus perfectione; quo jure exigunt, ut virtus productiva etiam adæquata, quæ est medium dumtaxat et instrumentum naturale perfectionis exæquet effectus productionem? Verum plura de his in *Cosmologia* fuerunt scripta.

(1) Vide supra num. 44, pag. 184 seqq. Cfr. *Cosmologia*, num. 66, pag. 1232, et num. 368, pag. 1215.

Quomodo
influat
principium
activum
passivum
generantium.

Difficultates
solventur

Cæterum principium passivum videtur in productionem animæ influere, ministrando materiam nondum penitus dispositam, quæ ab illa informetur, et actuetur; principium autem activum, materiam ejusmodi ultimo disponendo, ac determinando ad actum formæ vel animæ.

166. Objicies 1.^o Causa efficiens agere nequit, ubi et quando non est. Atqui individua, ex quibus nova planta generatur, possunt non esse, cum anima hujus educitur, vel certe non sunt ibi, ubi educitur. Nec juvat recurrere ad sententiam eorum, qui putant, embryonem jam ab actu fecundationis animatam esse. Etenim etiam in ea sententia locum habet difficultas. Sane ramus vel individuum etiam integrum, unde pollen decidit, antequam fovilla ad contactum embryonalis vesiculæ perducatur, profecto perire potest, et nunquam est in loco ipso, ubi fecundatio peragitur. Idipsum dicendum est de ipsis animalibus, ut facile constat ex Zoologia et Physiologia.

Respondeo *dist.* Major. Causa efficiens agere nequit, ubi et quando non est saltem per suam virtutem, *conc.*; ubi et quando non est secundum suum suppositum, *neg.* Neque enim immediatio suppositi necessaria est ad agendum, sed sufficit immediatio virtutis, ut ostensum est in *Ontologia* (1).

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 2.^o Principium fecundationis, quo anima plantæ vel animalis educeretur de potentia materiæ, habendum esset instar instrumenti cujusdam respectu generantium. At *instrumentum non movet nisi motum; movens autem et motum oportet esse simul, ut probatur VII.^o Physicor.* (a text. Comm. 10 ad 13. ^{um}) (2). Ergo impossibile est principium fecundationis, ab ipsis generantibus præcisum ac separatam, agere ad educendam animam plantæ de potentia materiæ: nec proinde ipsimet generantes medio illo principio dici queunt vera causa vegetalis aut sensitivæ animæ.

Respondeo *conc.* Major., *dist.* Minor. Movens et motum oportet simul esse in principio motus, *conc.*; per totam

(1) Vide *Ontolog.*, num. 402, pag. 1157.

(2) Vide apud S. Thom., *Quest. disput.*, quæst. 3 *de Potent.*, art. 11, arg. 5.

motus durationem, *subdist.*: saltem secundum virtutem, quatenus instrumentum motum, prout tale, nequit operari, nisi quamdiu adest sibi virtus causæ principalis, et hoc sensu conjunctum est cum ipsa, *conc.*: aliter, *neg.* Nam *instrumentum intelligitur moveri a principali agente, quamdiu retinet virtutem a principali agente impressam; unde sagitta tamdiu movetur a projiciente, quamdiu manet vis impulsus projicientis...* Unde et semen (intellige principium activum fecundationis vel generationis) *tamdiu intelligitur moveri ab anima generantis, quamdiu remanet ibi virtus impressa ab anima, licet corporaliter sit divisum. Oportet autem movens et motum esse simul quantum ad motus principium, non tamen quantum ad totum motum, ut apparet in projectis* (1).

Objic. 3.^o «Quando effectus deficit a perfectione causæ, non potest se extendere in propriam causæ actionem; diversitati enim naturarum attestatur diversitas actionum». Sed virtus, quæ in principio activo generationis est, «etsi sit effectus animæ plantæ, vel animalis generantis, tamen constat, quod deficit a perfectione ipsius». Ergo non potest efficere actionem, quæ proprie competit animæ vegetali vel sensibili, scilicet producere animam sibi similem in specie (2).

Respondeo, quod anima sensibilis et vegetabilis de potentia materiæ educuntur, sicut et formæ aliæ materiales, ad quarum productionem requiritur virtus materiam transmutans. Virtus autem, quæ est in principio activo, licet deficiat ab aliis actionibus animæ, banc tamen habet. Sicut enim per animam materiam transmutatur, ut convertatur in totum in actione nutrimenti: ita et per virtutem prædictam transmutatur materia, ut generetur conceptum, Unde nihil prohibet, quin virtus prædicta operetur quantum ad hoc ad actionem animæ vegetabilis vel sensibilis in virtute ipsius (3).

Objic. 4.^o Si ipsi generantes educerent animam novi individui generati de potentia materiæ, illa procederet vel ab eorum corpore vel ab anima. «Non a corpore, quia sic

(1) S. Thom., loc. nup. cit. ad 5.^{um}

(2) Apud S. Thom. *ibid.*, arg. 7.

(3) S. Thom., loc., cit., ad 7.^{um}